

unum, sicut quod est ratione unum. Ex duobus autem permanentibus non fit ratione unum, nisi sicut ex forma substantiali, & materia: ex substantia enim, & accidente non fit ratione unum: non enim est eadem ratio hominis, & albi. Hoc igitur inquirendum relinquitur, utrum substantia intellectualis, corporis alicujus forma substantialis esse possit. Videtur autem rationabiliter considerantibus hoc esse impossibile.

1. Ex duabus enim substantiis actu existentibus non potest fieri aliquid unum: actus enim cujuslibet est id quo ab altero distinguitur. Substantia vero intellectualis est substantia actu existens, ut ex premissis apparet; similiter autem & corpus. Non igitur potest aliquid unum fieri, ut videtur, ex substantia intellectuali, & corpore.

2. Adhuc. Forma, & materia in eodem genere continentur: omne enim genus per actum, & potentiam dividitur. Substantia autem intellectualis, & corpus sunt diversa genera. Non igitur videtur possibile unum esse formam alterius.

3. Amplius. Omne illud cuius esse est in materia, oportet esse materiale. Sed si substantia intellectualis est forma corporis, oportet quod esse ejus sit in materia corporali: non enim esse formae est praeter esse materiae. Sequitur igitur quod substantia intellectualis non sit immaterialis, ut supra cap. l. ostensum est.

4. Item. Impossibile est id cuius esse est in corpore, esse à corpore separatum. Intellectus autem ostenditur à Physicis III. de Anima text. comm. vi. & xix. esse separatus à corpore, & quod neque est corpus, neque virtus in corpore. Non est igitur intellectualis substantia forma corporis, sic enim esse ejus esset in corpore.

5. Adhuc. Cujus esse est commune corpori, oportet & operationem communem esse: unumquodque enim agit, secundum quod est ens; nec virtus operativa rei potest esse sublimior quam ejus essentia, cum virtus essentiae principia consequatur. Si autem substantia intellectualis sit forma corporis, oportet quod esse ejus sit sibi, & corpori commune: ex forma enim, & materia fit aliquid unum simpliciter, quod est secundum esse unum. Erit ergo & operatio substantiae intellectualis communis corpori, & virtus ejus, virtus in corpore: quod ex premissis patet esse impossibile.

CAPUT LVII.

Positio Platonis de unione animae intellectivae ad corpus.

I. Part. quest. lxxvi. art. 1.

EX hoc autem, & similibus rationibus aliqui moti, & dixerunt, quod nulla substantia intellectualis potest esse forma corporis.

Sed quia huic positioni ipsa hominis natura contradicere videbatur, quia ex anima intellectuali, & corpore videtur esse compositus; excogitaverunt quasdam vias per quas naturam hominis salvarent.

1. Plato igitur in Alcibiade, & in Phedone posuit, & ejus sequaces, quod anima intellectualis non unitur corpori sicut forma materiae, sed solum sicut motor mobili, dicens, animam esse in corpore, sicut nauta est in navi; & sic unio animae & corporis non esset nisi per contactum virtutis, de quo supra cap. praeced. dictum est.

Hoc autem videtur inconveniens. Secundum enim

praedictum contactum non fit aliquid unum simpliciter, ut cap. praeced. ostensum est. Ex unione autem animae & corporis fit homo. Relinquitur igitur quod homo non sit unum simpliciter, & per consequens nec ens simpliciter, sed ens per accidens.

Ad hoc autem evitandum Plato posuit quod homo non sit aliquid compositum ex anima & corpore, sed quod ipsa anima utens corpore sit homo; sicut Petrus non est aliquid compositum ex homine & indumento, sed homo utens indumento.

Hoc autem esse impossibile ostenditur. Animal enim, & homo sunt quaedam sensibilia, & naturalia. Hoc autem non esset, si corpus, & ejus partes non essent de essentia hominis, & animalis, sed tota essentia utriusque esset anima secundum positionem praedictam cap. lvi. anima enim non est aliquid sensibile, neque materiale. Impossibile est igitur hominem, & animal esse animam utentem corpore, non autem aliquid ex anima & corpore compositum.

Item. Impossibile est quod eorum quae sunt diversa secundum esse, sit operatio una. Dico autem operationem unam, non ex parte ejus in quod terminatur actio, sed secundum quod egreditur ab agente: multi enim trahentes navim, unam actionem faciunt ex parte operati; quod est unum, sed tamen ex parte trahentium sunt multae actiones, quia sunt diversi impulsus ad trahendum: quum enim actio consequatur formam, & virtutem, oportet quod quorum sunt diversae formae, & virtutes, & actiones esse diversas. Quamvis autem anima sit aliqua operatio propria, in qua non communicat corpus, sicut intelligere; sunt tamen aliqua operationes communes sibi, & corpori, ut timere, & irasci, & sentire, & huiusmodi: haec enim accidunt secundum aliquam transmutationem alicujus determinatae partis corporis: ex quo patet quod simul sunt animae, & corporis operationes. Oportet igitur ex anima & corpore unum fieri, & quod non sint secundum esse diversa.

Huic autem rationi secundum Platonis sententiam obviatur. Nihil enim inconveniens est moventis, & moti, quamvis secundum esse diversorum, esse eundem actum: nam motus est idem quod actus moventis, sicut à quo est, moti autem sicut in quo est. Sic igitur Plato posuit praemissas operationes esse animae corporisque communes, ut videlicet sint animae sicut moventis, & corporis sicut moti.

Sed hoc esse non potest: quia ut probat Philosophus in II. de Anima text. comm. li. sentire accidit in ipso moveri à sensibilibus exterioribus: unde non potest homo sentire absque exteriori sensibili, sicut non potest aliquid moveri absque movente. Organum igitur sensus movetur, & patitur in sentiendo, sed ab exteriori sensibili. Illud autem quod patitur est sensus: quod ex hoc patet, quia carentia sensu non patiuntur à sensibilibus tali modo passionis. Sensus igitur est virtus passiva ipsius organi. Anima igitur sensitiva non habet se in sentiendo sicut movens & agens, sed sicut quo patiens patitur: quod impossibile est esse diversum, secundum esse à patiente. Non est igitur anima sensibilis secundum esse diversa à corpore animato.

2. Praeterea. Licet motus sit communis actus moventis, & moti, tamen alia operatio est facere motum, & recipere motum: unde & duo praedicamenta ponuntur *facere*, & *pati*. Si igitur in sentiendo anima sensitiva se habet ut agens, & corpus ut patiens; alia erit operatio animae, & alia corporis. Anima igitur sensitiva habebit aliquam operationem propriam: habebit igitur & subsistentiam propriam. Non igitur des-

destructo corpore esse desinet: animae igitur sensitivae etiam irrationalium animalium erant immortales: quod quidem improbabile videtur, tamen à Platone opinione non discordat. Sed de hoc infra cap. lxxxii. erit locus querendi.

3. Amplius. Mobile non sortitur speciem à suo motore. Si igitur anima non coniungitur corpori nisi sicut motor mobili, corpus, & partes ejus non consequuntur speciem ab anima. Abeunte igitur anima, remanebit corpus, & partes ejusdem speciei. Hoc autem est manifeste falsum: nam caro, & os, & manus, & huiusmodi partes, post abscessum animae non dicuntur nisi aequivoce, quum nulli harum partium propria operatio adsit, quae speciem consequitur. Non igitur unitur anima corpore solum sicut motor mobili, vel sicut homo vestimento.

4. Adhuc. Mobile non habet esse per se, suum motorem, sed solum motum. Si igitur anima uniatu corpori solummodo ut motor, corpus movebitur quidem ab anima, sed non habebit esse per eam. Vivere autem est quoddam esse viventis. Non igitur corpus vivet per animam.

5. Item. Mobile neque generatur per applicationem motoris ad ipsum, neque per ejus separationem corrumpitur; quum non dependeat mobile à motore secundum esse, sed secundum moveri tantum. Si igitur anima uniatu corpori solum ut motor, sequetur quod in unione animae & corporis non erit aliqua generatio, neque in separatione corruptio; & sic mors, quae consistit in separatione animae & corporis, non erit corruptio animalis; quod est manifeste falsum.

6. Praeterea. Omne movens se ipsum, ita se habet quod in ipso est moveri, & non moveri, movere, & non movere. Sed anima secundum Platonis opinionem, X. de Repub. movet corpus sicut movens seipsum. Est ergo in potestate animae movere corpus, & non movere. Si ergo non unitur ei nisi sicut motor mobili, erit in potestate anima separari à corpore quum voluerit, & iterum uniri ei cum voluerit: quod patet esse falsum.

Quod autem ut propria forma anima corpori uniatu, sic probatur. Illud quo aliquid fit de potentia ente, actu ens, est & forma, & actus ipsius. Corpus autem per animam actu fit ens de potentia existente: vivere enim est esse viventis; semen autem ante animationem est vivens solum in potentia, per animam autem fit vivens actu. Est igitur anima forma corporis animati.

7. Amplius. Quia tam esse, quam operari non est solum formae, neque solum materiae, sed conjuncti; esse, & agere duobus attribuitur, quorum unum se habet ad alterum sicut forma ad materiam: dicimus enim, quod homo est sanus corpore, & sanitate, & quod est sciens scientia, & anima; quorum scientia est forma animae scientis, & sanitas corporis sani. Vivere autem, & sentire attribuitur animae, & corpori: dicimus enim vivere, & sentire anima & corpore, sed anima tamen, sicut principio vitae, & sensus. Est igitur anima forma corporis.

8. Adhuc. Similiter se habet tota anima sensitiva ad totum corpus sicut pars ad partem. Pars autem ita se habet ad partem quod est forma, & actus ejus: vivus enim est forma, & actus oculi. Ergo anima est forma, & actus corporis.

CAPUT LVIII.

Quod nutritiva, sensitiva, & intellectiva non sunt in homine tres animae.

I. Part. quest. lxxvi. art. 3.

Potest autem praedictis rationibus, secundum opinionem Platonis, in Timaeo, & IV. & IX. de Repub. obviari, quantum ad praesentem intentionem pertinet. Ponit enim Plato, non esse eandem animam in nobis intellectivam, nutritivam, & sensitivam: unde etsi animal sensitiva sit forma corporis, non oportebit propter hoc dicere, quod aliqua intellectualis substantia forma corporis esse possit. Quod autem hoc sit impossibile, sic ostendendum est.

Quae attribuntur alicui eidem, secundum diversas formas, praedicantur de se invicem per accidens: album enim dicitur esse musicum, per accidens, quia Socrati accidit albedo, & musica. Si igitur anima intellectiva, & sensitiva, & nutritiva sunt diversae virtutes, aut formae in nobis; ea quae secundum has formas nobis conveniunt, de invicem praedicantur per accidens. Sed secundum animam intellectivam dicimus homines, secundum sensitivam animalia, secundum nutritivam viventia. Erit igitur haec praedicatio per accidens, Homo est animal, vel Animal est vivum. Est autem per se talis praedicatio: nam homo secundum quod est homo, est animal; & animal, secundum quod est animal, est vivum. Est igitur aliquid ab eodem principio animal, homo & vivum.

Si autem dicatur, quod etiam praedictis animalibus diversis existentibus, non sequitur praedictae praedicationes fore per accidens, eo quod anima illae ad invicem ordinem habent; hoc iterum removetur: Nam ordo sensitivi ad intellectivum, & nutritivi ad sensitivum, est sicut ordo potentiae ad actum: nam intellectivum sensitivo, & sensitivum nutritivo posteriorius secundum generationem est; prius enim generatione fit animal quam homo. Si igitur iste ordo facit praedicationes praedictas esse per se, hoc non erit secundum illum modum dicendi per se qui accipitur secundum formam, sed secundum illum qui accipitur secundum materiam, & subjectum, sicut dicitur superficies colorata. Hoc autem est impossibile: quia isto modo dicendi per se, id quod est formale, praedicatur per se de subjecto, ut quum dicimus, Superficies est alba, vel numerus est par. Et iterum hoc modo dicendi per se subjectum ponitur in diffinitione praedicati, sicut numerus in diffinitione partis; ibi autem è contrario accidit: non enim homo per se praedicatur de animali, sed è converso. Et iterum non ponitur subjectum in diffinitione praedicati, sed è converso. Non igitur praedictae praedicationes dicuntur per se, ratione dicti ordinis.

2. Praeterea. Ab eodem aliquid habet esse, & unitatem: unum enim consequitur ad ens. Quum igitur à forma unaquaeque res habeat esse, à forma etiam habebit unitatem. Si igitur in homine ponantur plures animae sicut diversae formae, homo non erit unum ens, sed plura: nec ad unitatem hominis ordo formarum sufficiet, quia esse unum secundum ordinem, non est esse unum simpliciter, cum unitas ordinis sit minima unitatum.

3. Item. Ad haec redibit praedictum inconveniens, ut scilicet ex anima intellectiva, & corpore non fiat unum simpliciter, sed secundum accidens tantum: om-

omne enim quod alicui advenit post esse completum, advenit ei accidentaliter, cum sit extra essentiam eius. Quælibet etiam forma substantialis facit ens completum in genere substantiæ: facit enim ens actu, & hoc aliquid. Quidquid igitur post primam formam substantialem advenit rei, accidentaliter advenit. Cum igitur anima nutritiva sit forma substantialis (vivum enim substantialiter de homine prædicatur, & de animali) sequeretur quod anima sensitiva adveniat accidentaliter, & similiter intellectiva; & sic neque animal, neque homo simpliciter significabit unum; neque aliquid genus; neque species in prædicamento substantiæ.

4. Amplius. Si homo secundum Platonis sententiam, non est aliquid ex anima & corpore compositum, sed est anima utens corpore; aut hoc intelligitur solum de anima intellectiva, aut de animabus tribus, si tres sunt, sive de duabus earum. Si de tribus, vel duabus, sequitur quod homo non sit unum, sed sit duo, vel tria: sunt enim tres animæ, val saltem duæ. Si autem hoc intelligitur de anima intellectiva tantum, ita scilicet quod intelligatur anima sensitiva esse forma corporis; & anima intellectiva, utens corpore animato, & sensificato, sit homo; sequentur adhuc inconvenientia, scilicet quod homo non sit animal, sed utatur animali; nam per animam sensitivam aliquid est animal; & quod homo non sentiat, sed utatur re sentiente: quæ cum sint inconvenientia, impossibile est tres animas substantia differentes, esse in nobis, intellectivam, sensitivam, & nutritivam.

5. Adhuc. Ex duobus, aut pluribus non potest fieri unum, si non sit aliquid uniens, nisi unum eorum se habeat ad alterum ut actus ad potentiam: sic enim ex materia & forma fit unum, nullo vinculo extraneo eos colligante. Si autem in homine sint plures animæ quæ non se habent ad invicem sicut materia, & forma, sed omnes ponuntur ut actus quidam, & principia actionum; oportet igitur, si uniantur ad faciendum aliquid unum, puta hominem, vel animal, quod sit aliquid uniens. Hoc autem non potest esse corpus, cum magis corpus uniat per animam: cuius signum est quod decedente anima, corpus dissolvitur. Relinquitur igitur quod oportet aliquid formalis esse, quod facit ex illis pluribus unum; & hoc magis erit anima quam illa plura quæ per ipsum uniantur. Si igitur hoc iterum est habens partes diversas, & non est unum secundum se; oportet adhuc esse aliquid uniens. Quum igitur non sit abire in infinitum, oportet devenire ad aliquid quod sit secundum se unum; & hoc maxime est anima. Oportet igitur in uno homine, vel animali unam tantum animam esse.

6. Item. Si id quod est ex parte animæ in homine, est ex pluribus congregatum, oportet quod sicut totum congregatum se habet ad totum corpus, ita singula ad singulas partes corporis: quod etiam a positione Platonis non discordat, ponebat enim animam rationalem in cerebro, nutritivam in hepate concupiscibilem in corde. Hoc autem apparet esse falsum dupliciter. Primo quidem, quia aliqua pars est animæ, quæ non potest attribui alicui parti corporis, scilicet intellectus; de quo supra cap. LV. ostensum est quod non est actus alicujus partis corporis. Secundo, quia manifestum est quod in eadem parte corporis apparent diversarum partium animæ operationes, sicut patet in animalibus quæ decisa vivunt, quia eadem pars habet motum, & sensum, & appetitum quo movetur; & similiter eadem pars plantæ decisa nutritur,

augetur, & germinat: ex quo apparet quod diversæ partes animæ in una & eadem parte corporis sint. Non igitur sunt diversæ animæ in nobis, diversis partibus corporis attributæ.

7. Amplius. Diversæ vires quæ non radicanter in uno principio, non impediunt se invicem in agendo, nisi forte earum actiones essent contrariæ, quod in proposito non contingit. Videmus autem quod diversæ operationes animæ impediunt se: quum enim una est intensa, altera remittitur. Oportet igitur quod istæ actiones, & vires quæ sunt eorum proxima principia, reducantur in unum principium. Hoc autem principium non potest esse corpus: tum quia aliqua actio est in qua non communicat corpus, scilicet intelligere; tum quia si principium harum virium, & actionum esset corpus, in quantum hujusmodi invenirentur in omnibus corporibus: quod patet esse falsum; & sic relinquitur quod sit principium earum forma aliqua una, per quam hoc corpus est tale corpus, quæ est anima. Relinquitur igitur quod omnes actiones animæ quæ sunt in nobis, ab ipsa una procedunt; & sic non sunt in nobis plures animæ.

Huic autem consonat quod dicitur in Libro de ecclesiasticis dogmatibus: *Neque duas animas esse credimus in uno homine, sicut Jacobus, & alii Syrorum scribunt: unam animale, qua animatur corpus, & immixta sit sanguini, & alteram spirituale, qua rationem ministrat. Sed dicimus unam eandem esse animam in homine qua & corpus sua societate vivificet, & semetipsam sua ratione disponat.*

CAPUT LIX.

Quod intellectus possibilis hominis non est substantia separata.

I. Part. quest. LXXVI. art. 1.

Fuerunt autem & alia ad inventionem utentes in sustinendo, quod substantia intellectualis non possit uniri corpori ut forma. Dicunt enim, quod intellectus, etiam quem Aristoteles possibilem vocat III. de Anima text. comm. v. est quædam substantia separata, non conjuncta nobis ut forma: & hoc confirmare nituntur.

1. Primo ex verbis Aristotelis, qui dicit de hoc intellectu loquens, quod est separatus, & immixtus corpori, & simplex, & impassibilis; quæ non possent dici de eo, si esset forma corporis.

2. Item. Per demonstrationem ejusdem, qua probat quod quia intellectus possibilis recipit omnes species rerum sensibilium ut in potentia ad eas existens, oportet quod omnibus careat, sicut pupilla quæ recipit omnes species colorum, caret omni colore: si enim haberet de se aliquem colorem, ille color prohiberet videri alios colores, quinimo nihil videretur nisi sub illo colore: & simile contingeret de intellectu possibili, si haberet de se aliquam formam, seu naturam de rebus sensibilibus. Hoc autem oporteret esse, si esset mixtus alicui corpori, & similiter si esset forma alicujus corporis: quia cum ex materia & forma fiat unum, oportet quod forma participet aliquid de natura ejus cuius est forma. Impossibile est igitur intellectum possibilem esse mixtum corpori, aut esse actum, seu formam alicujus corporis.

3. Adhuc. Si esset forma alicujus corporis materialis, esset ejusdem generis receptio hujus intellectus, & receptio materiæ primæ: id enim quod est alicujus corporis forma, non recipit aliquid absque sua

sua materia. Materia autem prima recipit formas individuales, immo per hoc individualiter quod sunt in materia. Intellectus igitur possibilis recipere formas, ut sunt individuales, & sic non cognosceret universalia: quod patet esse falsum.

4. Præterea. Materia prima non est cognoscitiva formarum quas recipit. Si ergo eadem esset receptio intellectus possibilis, & materiæ primæ, nec intellectus possibilis cognosceret formas receptas: quod est falsum.

5. Amplius. Impossibile est esse in corpore virtutem infinitam, ut probatur ab Aristotele in VIII. Physic. text. comm. xxxix. Intellectus igitur possibilis est quodammodo virtutis infinitæ: judicamus enim per ipsum res infinitas secundum numerum, in quantum per ipsum cognoscimus universalia, sub quibus comprehenduntur particularia infinita in potentia. Non est igitur intellectus possibilis virtus in corpore. Ex his autem motus est Averroes, & quidam antiqui, ut ipse dicit III. de Anima comm. vi ad ponendum intellectum possibilem, quod intelligit anima, esse separatum secundum esse a corpore, & non esse formam corporis. Sed quia hic intellectus nihil ad nos pertineret, nec per ipsum intelligeremus, nisi nobiscum aliquo modo conjungeretur; determinat etiam modum quo continuatur nobiscum, dicens quod species intellecta in actu, est forma intellectus possibilis, sicut visibile in actu, est potentia formæ visivæ; unde ex intellectu possibili, & forma intellecta in actu, fit unum. Quicquam igitur conjungitur forma intellecta prædicta, conjungitur intellectus possibilis. Conjungitur autem nobis mediante phantasmate, quod est subiectum quoddam illius formæ intellectæ: per hunc etiam modum intellectus possibilis nobiscum continuatur.

Quod autem hæc frivola sint, & impossibilia, facile est videre.

1. Habens enim intellectum, est intelligens. Intelligitur autem id cujus species intelligibilis intellectui unitur. Per hoc autem quod species intellectualis intellectui unita est in homine per aliquem modum, non habebit homo quod sit intelligens, sed solum quod intelligatur ab intellectu separato.

2. Præterea. Si species intellecta in actu, est forma intellectus possibilis, sicut species visibilis in actu, est forma potentia visivæ ipsius oculi; species autem intellectualis sic se habet ad phantasmata sicut species visibilis in actu ad coloratum, quod est extra animam: & hac similitudine ipse videtur, & etiam Aristoteles, III. de Anima text. comm. xxx. similis igitur continuatio est intellectus possibilis per formam intelligibilem ad phantasma quod in nobis est, & potentia visivæ ad colorem qui est in lapide. Hæc autem continuatio non facit lapidem videre, sed solum videri. Ergo & prædicta continuatio intellectus possibilis nobiscum, non facit nos intelligere, sed intelligi solum. Planum autem est quod proprie, & vere dicitur, quod homo intelligit: non enim naturam intellectus investigarem nisi per hoc quod nos intelligimus. Non igitur sufficiens est prædictus continuationis modus.

3. Adhuc. Omne cognoscens per virtutem cognoscitivam, conjungitur objecto, & non est converso, sicut & operans omne per virtutem operativam conjungitur operato. Homo autem est intelligens per intellectum sicut per virtutem cognoscitivam. Non igitur per formam intelligibilem intellectui, sed magis per intellectum intelligibili conjungitur.

4. Amplius. Id quo aliquid operatur, oportet

esse formam ejus: nihil enim agit nisi secundum quod est actu. Actus autem non est aliquid, nisi per id quod est forma ejus: unde & Aristoteles probat, I. de Anima text. comm. iv. & infra, animam esse formam, per hoc quod animal per animam vivit, & sentit; homo autem intelligit, & non nisi per intellectum: unde & Aristoteles inquirens de principio quo intelligimus, tradit nobis naturam intellectus possibilis. Oportet igitur intellectum possibilem formaliter uniri nobis, & non solum per suum objectum.

5. Præterea. Intellectus in actu, & intelligibile in actu, sunt unum, sicut sensus in actu, & sensibile in actu. Non autem intellectus in potentia, & intelligibile in potentia, sicut nec sensus in potentia, & sensibile in potentia. Species igitur rei, secundum quod est in phantasmatis, non est intelligibilis actu: non enim sic est unum cum intellectu in actu, sed secundum quod est a phantasmatis abstracta; sicut nec species coloris est sensata in actu secundum quod est in lapide, sed solum secundum quod est in pupilla. Sic autem solum continuatur nobiscum species intelligibilis, secundum quod est in phantasmatis, secundum positionem prædictam. Non igitur continuatur nobiscum, secundum quod est unum cum intellectu possibili ut forma ejus, cui non potest esse medium quo continuatur intellectus possibilis nobiscum: quia secundum quod continuatur cum intellectu possibili, non continuatur nobiscum, nec è converso.

Patet autem eum qui hanc positionem induxit, & equivocatione deceptum fuisse. Colores enim extra animam existentes, præsentem lumine, sunt visibiles actu, ut potens movere visum, non autem ut actu sensata, secundum quod sunt unum cum visu in actu: & similiter phantasmata per lumen intellectus agentis fiunt actu intelligibilia, ut possint movere intellectum possibilem; non autem ut sint intellecta actu, secundum quod sunt unum cum intellectu possibili, facta in actu.

6. Item. Ubi invenitur alior operatio viventis, ibi invenitur alior species vitæ, correspondens illi actioni: in plantis enim invenitur sola actio ad nutritionem pertinentis, in animalibus autem invenitur alior actio, scilicet sentire, & moveri secundum locum: unde & animal vivit aliori specie vitæ. Sed adhuc in homine invenitur alior operatio ad vitam pertinens quam in animali, scilicet intelligere. Ergo homo habebit altiorem speciem vitæ. Sed vita est per animam. Habebit igitur homo altiorem animam quam vivit, quam sic anima sensibilis. Nulla autem est alior quam intellectus. Est igitur intellectus anima hominis, & per consequens forma ipsius.

7. Adhuc. Quod consequitur ad operationem alicujus rei, non largitur alicui speciem: quia operatio est actus secundus, forma autem per quam aliquid habet speciem, est actus primus. Unio autem intellectus possibilis ad hominem, secundum positionem prædictam, consequitur hominis operationem: fit enim mediante phantasia, quæ secundum Philosophum, text. comm. clx. & clxi. II. de Anima, est motus factus a sensu secundum actum. Ex tali igitur unione non consequitur homo speciem: non igitur differt homo specie à brutis animalibus per hoc quod est intellectum habens.

8. Amplius. Si homo speciem soritur per hoc quod est rationalis, & intellectum habens; quicumque est in specie humana, est rationalis, & intellectum habens. Sed pter, etiam antequam ex utero egrediat, est in specie humana: in quo tamen nondum

dum sunt phantasmata, quæ sunt intelligibilia actu. Non est igitur homo intellectum habens, per hoc quod intellectus continuatur homini mediante specie intelligibili, cujus subjectum est phantasma.

CAPUT LX.

Quod homo non sortitur speciem per intellectum passivum, sed per intellectum possibilem.

HIS autem rationibus obviatur, secundum prædictam positionem. Dicit enim prædictus Averroës, III. de Anima text. comm. v. & vi. quod homo differt specie à brutis per intellectum quem Aristoteles vocat passivum, qui est ipsa vis cogitativa, quæ est propria homini, loco cuius alia animalia habent quandam æstimatoriam naturalem. Hujus autem cogitativæ virtutis est distinguere intentiones individuales, & comparare eas, ad invicem; sicut intellectus, qui est separatus, & immixtus; comparat, & distinguit inter intentiones universales: & quia per hanc virtutem simul cum imaginativa, & memorativa præparantur phantasmata ut recipiant actionem intellectus agentis, à quo fiunt intelligibilia actu, sicut sunt aliquæ artes præparantes materiam artificii principali; ideo prædicta virtus vocatur nomine intellectus, & rationis, de qua Medici dicunt, quod habet sedem in media cellula capitis: & secundum hujus dispositionem virtutis differt homo unus ab alio in ingenio, & in aliis quæ pertinent ad intelligendum: & per visum hujus, & exercitium acquirit homo habitum scientiæ: unde habitus scientiarum sunt in hoc intellectu passivo sicut in subjecto: & hic intellectus passivus à principio adest puero, per quem sortitur speciem humanam, antequam actu intelligat.

Quod autem hæc sint falsa, & abusive dicta, evidenter apparet.

1. Operationes enim vitæ comparantur ad animam ut actus secundi ad primum, ut patet per Philosophum in II. de Anima text. comm. v. Actus autem primus in eodem præcedit tempore actum secundum, sicut scientia est ante considerare. In quocumque igitur invenitur aliqua operatio vitæ, oportet imponere aliquam partem animæ, quæ comparatur ad illam operationem sicut actus primus ad secundum. Sed homo habet propriam operationem supra alia animalia, scilicet intelligere, & ratiocinari, quæ est operatio hominis in quantum homo est, ut Aristoteles dicit in I. Ethic. cap. ix. Ergo oportet in homine ponere aliquod principium quod proprie dat speciem homini, quod se habeat ad intelligere sicut actus primus ad secundum. Hoc autem non potest esse intellectus passivus prædictus: quia principium prædictæ operationis oportet esse impassibile, & non mixtum corpori, ut Philosophus probat, III. de Anima text. comm. vi. cujus contrarium apparet de intellectu passivo. Non igitur est possibile quod per virtutem cogitativam, quæ dicitur intellectus passivus, homo speciem sortiatur, per quam ab aliis animalibus differat.

2. Adhuc. Quod est passio partis sensitivæ, non potest ponere in altiori genere vitæ quam sit vita sensitiva, sicut quod est passio animæ nutritivæ, non ponit in altiori genere vitæ quam sit vita nutritiva. Constat autem quod phantasia, & hujusmodi potentia quæ ad ipsam consequantur, ut memorativa, & consimiles, sunt passiones partis sensitivæ, ut probat Philosophus in Lib. de memoria. Non igitur

per prædictas virtutes, vel aliquam earum, animal aliquod potest poni in altiori genere vitæ quam sit anima sensitiva. Homo autem est in altiori genere vitæ; quod patet per Philosophum in II. de Anima text. comm. xiv. & infra, qui distinguens genera vitæ, superaddit intellectivum (quod homini attribuit) sensitivo; quod attribuit communiter omni animali. Non igitur homo est vivens vita sibi propria per virtutem cogitativam prædictam.

3. Amplius. Omne movens se ipsum, secundum quod probat Philosophus in VIII. Physic. text. comm. xl. componitur ex movente & motu. Homo autem sicut & alia animalia, est movens se ipsum. Ergo movens, & motum sunt partes ipsius. Primum autem movens in homine est intellectus: nam intellectus suo intelligibili movet voluntatem. Nec potest dici, quod solus intellectus passivus sit movens, quia intellectus passivus est solum particularium: in movendo autem accipitur universalis opinio, quæ est intellectus possibilis; & particularis, quæ potest esse intellectus passivi, ut patet per Aristotelem in III. de Anima text. comm. lviii. & in VII. Ethic. cor. cap. v. Ergo intellectus possibilis est aliqua pars hominis; & est dignissimum, & formalissimum in ipso. Ergo ab eo speciem sortitur; & non ab intellectu passivo.

4. Adhuc. Intellectus possibilis probatur non esse actus corporis alicujus, propter hoc quod est cognoscitivus omnium formarum sensibilium in universali. Nulla igitur virtus cujus operatio se extendere potest ad universalia omnium formarum sensibilium, potest esse actus alicujus corporis. Voluntas autem est hujusmodi: omnium enim eorum quæ intelligimus, possumus habere voluntatem, saltem ea cognoscendi: apparet etiam actus voluntatis in universali: odimus enim, ut dicit Aristoteles in sua Rhetorica Lib. VIII. cap. iv. in universali latronum genus; irascimur autem particularibus tantum. Voluntas autem non potest esse actus alicujus partis corporis, nec consequi aliquam potentiam quæ sit actus corporis: omnis autem pars animæ est actus alicujus corporis, præter solum intellectum proprio dictum. Igitur voluntas in intellectu parte est: unde & Aristoteles dicit in III. de Anima text. comm. xlii. quod voluntas in ratione est, irascibilis autem, & concupiscibilis in parte sensitiva: propter quod & actus concupiscibilis, & irascibilis cum passione sunt; non autem actus voluntatis, sed cum electione. Voluntas autem hominis non est extrinseca ab homine, quasi in quadam substantia separata fundata, sed est in ipso homine: aliter enim non esset dominus suarum actionum, quia ageretur voluntate cujusdam substantiæ separata, & in ipso essent tantum potentia appetitiva cum passione operantes, scilicet irascibilis, & concupiscibilis, quæ sunt in parte sensitiva, sicut & in cæteris animalibus, quæ magis aguntur quam agunt. Hoc autem est impossibile, & destructivum totius moralis Philosophiæ, & politicæ considerationis. Oportet igitur intellectum possibilem in nobis esse, per quem à brutis differamus, & non solum secundum intellectum passivum.

5. Item. Sicut nihil est potens agere nisi per potentiam activam in ipso existentem, ita nihil potens est pati nisi per potentiam passivam quæ est in ipso: combustibile enim est potens comburi non solum quia est aliquid potens comburere ipsum, sed etiam quia in se habet potentiam ut comburatur. Intelligere autem quoddam pati est, ut dicitur in III. de Anima text. comm. iv. Cum igitur puer sit intelligens po-

potentia, etsi non actu intelligat, oportet quod sit in eo aliqua potentia qua sit potens intelligere. Hæc autem potentia est intellectus possibilis. Oportet igitur quod puero jam sit conjunctus intellectus possibilis antequam actu intelligat: non est igitur continuatio intellectus possibilis cum homine per formam intellectam in actu; sed ipse intellectus possibilis inest homini à principio sicut aliquid ejus.

Huic autem rationi responderet Averroës prædictus: dicit enim, quod puer dicitur potentia intelligere duplici ratione. Uno modo quia phantasmata quæ sunt in ipso, sunt intelligibilia in potentia; alio modo quia intellectus possibilis est potens continuari cum ipso, & non quia intellectus sit jam unitus ei.

Ostendendum est autem quod uterque modus sit insufficientis.

1. Alia enim potentia est qua agens potest agere, & alia potentia qua patiens potest pati; & ex opposito dividuntur. Ex eo igitur quod convenit alicui quod possit agere, non competit ei quod possit pati. Posse autem intelligere, est posse pati, cum intelligere quoddam pati sit, secundum Philosophum II. de Anima text. comm. ii. Non igitur dicitur puer potens intelligere ex eo quod phantasmata in eo possunt esse intellecta in actu, cum hoc pertineat ad posse agere: phantasmata enim movent intellectum possibilem.

2. Adhuc. Potentia consequens speciem alicujus, non competit ei secundum id quod speciem non largitur. Posse autem intelligere consequitur speciem humanam: est enim intelligere operatio hominis in quantum hujusmodi: phantasmata autem non dant speciem humanam, sed magis consequuntur operationem hominis. Non ergo ratione phantasmatum potest dici puer potentia intelligens.

3. Similiter autem neque potest dici puer posse intelligere, quia intellectus possibilis potest continuari cum ipso. Sic enim aliquis dicitur potentia agere, vel pati per potentiam activam, vel passivam, sicut dicitur albus per albedinem. Non autem aliquis dicitur albus antequam albedo sit ei conjuncta. Ergo neque dicitur aliquis potens agere, vel pati, antequam potentia activa, vel passiva ei adsit: non ergo de puero potest dici, quod est potens intelligere, antequam intellectus possibilis, qui est potentia intelligendi, sit ei continuatus.

4. Præterea. Aliter dicitur aliquis potens operari antequam habeat naturam qua operetur, & aliter postquam jam habeat naturam, sed impeditur per accidens ab operando; sicut aliter dicitur corpus potens ferri sursum antequam sit leve, & aliter postquam jam est generatum leve, sed impeditur in suo motu. Puer autem est in potentia intelligens, non quasi nondum habens naturam intelligendi, sed habens impedimentum ut non intelligat: impeditur enim ab intelligendo propter multimodos motus in ipso existentes, ut dicitur in VII. Physic. text. comm. xx. Non igitur propter hoc dicitur potens intelligere, quia intellectus possibilis, qui est intelligendi principium, potest continuari sibi; sed quia jam est continuatus, & impeditur ab actione propria: unde impedimento remoto, statim intelligit.

5. Item. Habitus est quo quis operatur cum voluerit. Oportet igitur ejusdem esse habitum, & operationem quæ est secundum habitum. Sed considerare intelligendo, quod est actus hujus habitus, qui est scientiæ, non potest esse intellectus passivi, sed est ipsius intellectus possibilis: ad hoc enim quod aliqua potentia intelligat, oportet quod non sit actus

corporis alicujus. Ergo & habitus scientiæ non est in intellectu passivo, sed in intellectu possibili. Scientia autem in nobis est, secundum quam dicimur scientes. Ergo & intellectus possibilis est in nobis non secundum esse à nobis separatus.

6. Adhuc. Scientia est assimilatio scientis ad rem scitam. Rei autem scitæ, in quantum est scita, non assimilatur sciens, nisi secundum species universales: scientia enim de hujusmodi est; species autem universales non possunt in intellectu passivo esse, cum sit potentia utens organo, sed solum in intellectu possibili. Scientia igitur non est in intellectu passivo, sed solum in intellectu possibili.

7. Amplius. Intellectus in habitu (ut adversarius confitetur) est effectus intellectus agentis. Intellectus autem agentis effectus sunt intelligibilia in actu, quorum proprium recipiens est intellectus possibilis, ad quem comparatur agens sicut ars ad materiam, ut Aristoteles dicit in III. de Anima text. com. xvii. Oportet igitur intellectum in habitu, qui est habitus scientiæ, esse in intellectu possibili non passivo.

8. Præterea. Impossibile est quod perfectio superioris substantiæ dependeat ab inferiori. Perfectio autem intellectus possibilis dependet ab operatione hominis: dependet enim à phantasmatis, quæ movent intellectum possibilem. Non igitur est intellectus possibilis aliqua substantia superior homine: ergo oportet quod sit aliquid hominis, ut actus, & forma ipsius.

9. Adhuc. Quæcumque sunt separata secundum esse, habent etiam separatas operationes: nam res sunt propter suas operationes, sicut actus primus propter secundum: unde Aristoteles dicit in I. de Anima text. com. xii. & xiii. quod si aliqua operationum animæ est sine corpore, possibile est animam separari. Operatio autem intellectus possibilis indiget corpore: dicit enim Philosophus in III. de Anima text. com. viii. quod anima potest agere per se ipsam, scilicet intelligere, quando intellectus est factus in actu per speciem à phantasmatis abstractam, quæ non sunt sine corpore. Igitur intellectus possibilis non est omnino à corpore separatus.

10. Amplius. Quicumque competit aliqua operatio secundum naturam, sunt ei à natura attributa ea sine quibus illa operatio compleri non potest, sicut Aristoteles probat in II. Lib. de celo text. com. z. si stellæ moverentur motu progressivo ad modum animalium, quod natura dedisset eis organa motus progressivi. Sed operatio intellectus possibilis completur per organa corporea, in quibus necesse est esse phantasmata. Natura igitur intellectum possibilem corporeis univit organis: non est igitur secundum esse à corpore separatus.

11. Item. Si sit secundum esse à corpore separatus, magis intelliget substantias quæ sunt à materia separata, quam formas sensibiles, quia sunt magis intelligibiles, & magis ei conformes. Non potest autem intelligere substantias omnino à materia separatas, quia eorum non sunt aliqua phantasmata. Hic autem intellectus nequaquam sine phantasmate intelligit, ut Aristoteles dicit in III. de Anima text. com. xxx. sunt enim ei phantasmata sicut sensibilia sensui, sine quibus sensus non sentit. Non est igitur substantia separata à corpore secundum esse.

12. Adhuc. In omni genere tantum se extendit potentia passiva, quantum potentia activa illius generis: unde non est aliqua potentia passiva in natura cui non respondeat aliqua potentia activa naturalis.